

Disputa

...

Imperio
Pac.

Legitima.
Mutua
Majest
Academ
Feudalis.

RIEME


Juridica
deca


de la
...





Sammlung 4


U. q. 19,4













DISPUTATIO

Ad difficillimam L. transigere 18.
C. de Transactionib.

Quam

CONSENSU ET AU-
toritate Amplissimi Ictorum
ordinis, in inclyta Altorfina publicæ
disquisitioni subijcit.

JOHANNES PÜRCKELIUS BYRUTHO-
Franco Alumnus Brandenburgicus

In Collegio Ictorum Welsariano

Die 5. Octobris.



NORIBERGÆ,

Typis Abrahami Wagenmanni.

*Præstantissimo Joveni - Viri
Dno Johanni I. V. C. amicis suis
fratris amando mittit B. S.
ad opponendum amicis mittit.*



Illustrissimi ac Celsissimi Prin-
cipis & Domini, Domini CHRISTIANI
MARCHIONIS Brandenburgensis, Borussiae
Ducis &c. nutritij mei Clementissimi,

Consiliarijs fidelissimis,


Viris Magnificis, Amplissimis, antiqua No-
bilitate, virtute, sapientia, eloquentia, sum-
moq; rerum usu praestantissimis, Clarissimis ac Consultif-
simis, Dominis, fautoribus & promotori-
bus meis suspiciendis.

*Magna Magnis debere, nemo est, qui ignoret;
Dona enim virtuti consentanea esse debent. Ast ego, dum parva
haec consecro, in verecundum non duco; Cum & Maximo Numini,
ut & praclaris Patriae & Reipub: columnis pauca ex animo oblata,
dum majora desunt, displicere non soleant. Hanc itaq; disputatio-
nem observantiae testimonium ac progressus studiorum meorum
indicium esse volo, quam ut benigno animo suscipere, mihi favere,
studiaq; mea promovere non dedignemini, debita animi
subjectione rogo. Valeatis, vivatis Reipubl:
vivatis vobis, vivatis & mihi diu-
tissime ac felicissime.*

V.V.M.M.A.A. & E.E.

*Observantissimus & Obse-
quentissimus*

Johannes Pürckelius.



I.

Verissimum esse vetustissimum proverbium: Difficilia, quæ pulchra, cum aliis compluribus, in primis testatur *l. transigere 18. C. de transactionibus.*

II.

Tantam enim ejus difficultatem esse faretur *Govean. 1. variar. c. 30. n. 1.* quod omnium *Dd.* judicia torserit, ita quidem, ut nec adhuc ejus sententia intelligatur.

III.

Quam etiam acutissimus *Antonius Faber 2. conjectur: 20.* agnovit, dum nullam legem in toto Codice obscuriorem, habentem tractatum hac ipsa inveniri scribit.

IV.

Verùm difficultatem superat utilitas, tam enim in iudicantium auditoriis, quam *ICtorum* sacrariis utilissimam & frequentissimam continet materiam *Delr: ad d. l. 18.* ita quidem, ut meritò huic accomodandum legi existimet *Heig: p. 2. quest. 24. n. 1. quod gloriatur Vlpia: de tota Restitutionis in integrum materia in l. 1. ff. de in integr: restitut.*

V.

Motus igitur utilitate, nec perterrefactus difficultate, præsentem disputationem *ad d. l. 18.* publicæ subijcere disquisitioni constitui.

VI.

Verba *L.* hæc sunt: *Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est; In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.*

VII.

Hanc L. Br. in quatuor partes dividit : In prima regulam permissivam, in altera exceptionem, in tertia regulam prohibitivam, in quarta ejusdem exceptionem proponendo : Quem sequar, præmissa quorundam vocabulorum, ambiguum explicatione.

VIII.

Prima hujus legis pars continet regulam permissivam, concedendo cuilibet pacisci vel transigere de crimine capitali sanguinis poenam ingerente; Idq; non immeritò? Ignoscendum enim censuerunt ei Principes, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit *l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent. vel mort.*

IX.

Vocabulum pacti in jure dupliciter accipitur, generaliter & specialiter *Wesenb. in pag. n. 2. ff. de pact. per l. 1. §. 2. & 3. l. 7. in pr. & §. 4. ff. d. t.*

X.

Generaliter sumptum, denotat non solum pactum in specie & transactionem, verum etiam qualemcumq; conventionem & contractum, tam nominatum quam innominatum *l. 1. §. conventionis verbum, 3. ff. de pact. l. 20. C. eod. l. 1. ff. de pignorat. act. l. 5. §. sed si facio 4. ff. de præscript. verb. l. 15. ff. eod. l. 20. ff. de L. Cornel. de fals. Gædd. ad l. 19. n. 30. & seqq. ff. de V. S.*

XI.

Quò spectat definitio ab Ulp. : tradita in *l. 1. §. & est pactio 2. ff. de pact. & l. 3. ff. de pollicitat. : dum pactum sive pactiorem duorum pluriumve in idem placitum consensum, atq; conventionem dicit.*

XII.

Undè patet errare Duarenium & alios pactum specialius

lius pactioe asseverantes *Wesenb: d. loco, Treut: p. 1. disp: 6. the: 1. lit. A.* Licet enim differant, ut probat *Matth. Cuno ad l. 1. §. 1. ff. de pact: & Anton: Faber in Rationalib: ad d. §. 1.* nihilominus ipso concedente *Fabro*, promiscuè ea in Iure usurpari, non est dubium.

XIII.

Pactum in specie sumitur pro conventione, à contractibus, transactione, & id genus aliis separata, & definitur conventio de re certa sine nomine & causa, seu nudo placiti sine consistens *l. 1. ff. de transactionib: l. si tibi, 27. C. locat: & conduct: l. 15. C. famil: hercisc: Cuiac: in pag: C. de transact: Vult: 1. J. R. 29. n. 7.*

XIV.

Quod licet nudum etiam dicatur *l. 7. §. sed cum nulla 4. l. 28. ff. de pact: l. frumenti, 12. C. de usur: l. 1. C. de pact: convent: l. 2. C. de eviction: non tamen Dd. rectè adstruere, esse quædam vestita, Cuiac: in pag: C. de transact: n. 8. Vult: ad pr: J. de obligat: n. 22. concludunt & rectè.*

XV.

Ideò enim nudum appellatur, quod nec aliud nomen assumpserit, nec causam, ob quàm dare aut facere debeas, aliam habeat, quam conventionem *l. 7. §. 1. & 2. ff. de pact: Cuiac: & Vult: dd: locis. Sic in l. 5. C. de contrah. stipulat: pollicitatio dicitur nuda, non tamen ita ut aliqua sit non nuda.*

XVI.

Transactionis vocabulum æquè bifariam accipitur, generaliter & specialiter *Wesenb: in pag: ff. de transact: n. 2. Duar: ad t. ff. de transactionib: c. 1. & ad l. 1. §. conventionis, verb: transigendi §. ff. de pact: Sichard: & Gilken: in Rubr: C. de transactionib:*

XVII.

Generaliter acceptum, cujusq; negotii definitionem.

A ;

seu

feu compositionem, perfectionem, & quemvis actum, quo
à controversia receditur, significat, *Duar: ad d. §. conventi-*
onis, 3. l. transacta 229. & 230. ff. de V. S. l. non exigimus, 2. ff. si
quis caution: in Iudic. sist: caus. fact:

XVIII.

Undè pacto transigit, de credito, qui contentus fuit
pignora possidere *l. 15. §. si pignora, 3. ff. de re judicat: Ita, non*
conceditur, eandem causam retractare, si Iurejurando ne-
gotium transactum sit l. admonendi, 31. ff. de Iurejurand: Sic,
si eum, qui parte bonorum multari debuit, Præses relega-
verit dicendum erit, duriori sententia cum eo transactum,
de existimatione ejus, idcircoq; non esse infamem l. quid er-
gò, 13. §. pœna, 8. ff. de his, qui notant: infam:

XIX.

Hic de hoc controvertere Dd. animadverto, an ex *l. 229.*
& 230. ff. de V. S. probari possit, vocabulum transactionis
tam generale esse, ut quamvis terminationem ac compo-
sitionem litis denotet? *Negant Cuiac: in l. 1. ff. de transact: Ste-*
phan: Forcat. in Necyom: Dialog: 46. n. 3. Gædd. in d. l. 230.
Affirmativa placuit Br. & Sichard. in Rubr: C. de transact:
Iasoni in Rubr: ff. eod. t. Duar. d. c. 1. Æmylio Ferret: in l. 1. n. 1.
ff. de transaction: quam & ego sequor.

XX.

Propriè & specialiter vocabulo sumpto, est conventio,
qua res dubia, lisve præsens vel futura, aliquo dato, reten-
to vel promisso remittitur *l. cum proponas, 17. l. 38. C. de trans-*
act: l. 1. ff. eod.

XXI.

Verum cum conventionis vocabulum sit generale *d. l.*
1. §. conventionis l. 2. l. 5. ff. eod. t. adeò, ut tam ad contractus
nominatos & innominatos, quam ad pacta referatur; quæ-
runt Dd. quibus transactio sit annumeranda? Et eam tam
pactis

paētis l. 2. ff. de transactionib. l. de fidei commissio 11. l. 15. C. eod.
Borch. de transact: c. 1. n. 8. quam contractibus & innomina-
tis l. 6. C. de transactionib. Conan. 5. commenta. 6. n. 11. & nomi-
natis, d. l. 6. l. Si pro Fundo 33. C. eod. Connan. d. l. Arumæ: in
disp. quadam publica de Transactionibus annumerari pos-
se contendit.

XXII.

In propria significatione, tam strictè non sumitur ut
non etiam comprehendat pactum l. 3. in pr. l. 9. §. 2. ff. de
transaction: Delr: ad d. l. 18. n. 135. undè ab Obrecht: in Oeconom:
t. ff. §. C. de transact: the. 10. definitur: quod fit de re dubia
& lite incerta, neq; finita pactum non gratuitum.

XXIII.

Licet enim pactum ut plurimum sit gratuitum & ex li-
beralitate donationis causa proficiscatur l. 1. ff. de transactio-
nib. nihilominus & pactum aliquando interveniente pre-
cio fieri, docent l. furti 6. §. pactus q. 3. ff. de his qui not. infam:
l. 4. ff. de Iur: fisci, Borch. d. tr: c. 3. in fin:

XXIV.

Immeritò igitur Duar: & Ruffard: ad l. 1. ff. de pact. ut &
Donel. rectè eos sentire scribens ad Rubr: C. de transact: n. 12.
reprehenduntur ab Arumæo in disp. ad precipuas π. & C. leges,
4. the. 3. dum verba Donationis causa, cum verbo paciscitur,
non verò cum verbo remittit, jungenda existimant.

XXV.

Differunt autem transactio & pactum, quod duo illius
necessaria requisita non æquè in pacto desiderentur, cum
hoc aliquando precio interveniente fiat, nonnunquam
gratuitò l. 1. ff. de transactio: imò etiam de re incerta d. l. trans-
igere, Hunnius in tr. de transactionib: c. 1. exercit: 4. Dis. Hoto-
man. ad d. l. 1. §. in disput: de transact: c. 2. n. 14.

XXVI.

XXVI.

Haftenus de verbis, quorum explicatio necessaria visa fuit ad melius intelligendam regulam primam, sequitur. ut de regula ipsa videam, quam duo Icti celeberrimi impugnant, alter limitando alter corrigendo & restringendo.

XXVII.

Primus, qui limitando regulam interpretatur, est *Revard. lib. 4. varior: c. 6.* qui Impp. Diocletianum & Maximianum hoc voluisse putat: Transigere vel pacisci de crimine capitali licere quidem, at tum demum, si sanguinis poenam ingerat & publicam non habeat executionem, sed privato iudicio & extra ordinem de eo agatur.

XXVIII.

Quæ interpretatio cum sit & divinatoria, quia ne verbulo quidem ex textu elici potest, imò rationi decidendi unanimi Dd. consensu approbatæ, contraria est: Et odiosa, dum favores aliàs potius ampliandos & dilatandos *c. odia, de R. J. in 6.* restringit. *Delr. ad h. l. n. 23.* meritò reiicienda.

XXIX.

Alter, qui corrigendo & restringendo explicat regulam hanc, est Franciscus Hotoman: homo Duareno eruditus & omni literarum genere excultus, is putat, omninò regulam immutandam esse voculam NON inferendo, illamq; de non capitalibus intelligendo, *illustr: quest. 23.*

XXX.

Verùm cum exceptio, quæ est in adulterio, quod capitale ex L. Romuli, cuius verba refert *D. Arumæ: d. disp. 4. the. 36.* & Augusti Imperatoris *§. item lex Iulia, s. I. de publ. iudic.* ut probat *Plutarch. in apophthegmat:* contrarium suadeat; nec hæc approbanda.

XXXI.

Multò autem minus eiusdem restrictio laudanda, dum
regu-

regulam in solo reo locum habere contendit; cum eadem sit ratio tam in accusatore quam reo, propter inscriptionis vinculum: Ubi autem eadem ratio, ibi quoque idem Ius statuendum *l. non possunt 12. cum l. seq. ff. de legib. l. à Titio, 108. in fin. ff. de V. O. l. 9. §. nummularios 2. ff. de edendo, l. illud 32. in pr. ff. Ad L. Aquil.*

XXXII.

Si verò inscriptio ad poenam talionis in usu esse desit, ut tradunt *Alciatus, 9. parerg. 2. Clar. 5. sentent. §. ult. q. 81. n. 3.* non video, quare accusatori concedenda sit transactio.

XXXIII.

An in fustigationis poena infligenda locum si vindicet regula, quæstionis est? Et licet *Iul. Clar. §. fin. q. 58. n. 8.* affirmativam communem dicat, negativa tamen, quam & ipsam *Romanus in h. l. n. 9.* communem dicit, verior videtur, cum nullibi pro capitali accipiatur poena, *Arum. d. d. 4. the. 28.*

XXXIV.

An in membri mutilatione transactio locum habeat, inter Dd. adeò non constat? quidam enim affirmativam communem dicunt *Curt. Iunio. ad sepius d. l. 18. n. 23.* quos allegat & sequitur *Clar. d. l. n. 7.* Tamen, cum amputato membro homo nihilominus remaneat vivus *Menoch. ff. J. Q. lib. 1. q. 85. n. 9.* negativam probabiliorem existimo.

XXXV.

Transactionem in perpetui carceris poena admittendam ex eo concludit *Panormitan. in c. 1. de collus: detegend.* quod æquiparetur servituti *l. 2. ff. de liber. homin. exhibend.* illa autem morti non absimilis; Verùm sive carcerem pro poena capias, *l. 2. C. de custod. reor. l. 3. ff. eod. l. 1. §. fin. ff. de aleator: l. 28. §. ad statuas 7. ff. de pænis, sive pro custodia l. 1. C. de custod. reor.* negativa magis placet.

B

XXXVI.

XXXVI.

In crimine læsæ Majestatis divinæ, quod blasphemando committitur *Schneide: ad §. publica I, de publ. Iudic. n. 7, & ultimo supplicio coërcetur N. 77. c. unic. §. 2. transactionem omninò illicitam putant Cyn. & alij ad h. l. 18. Verùm cum generalitas d. l. aliud suadeat, erubescendum erit aliquid sine lege affirmare.*

XXXVII.

Hoc ipsum multò magis dicendum, in læsæ Majestatis humanæ crimine, quod committitur fraudulenta subditorum adversus Reipubl. statum eumve, qui ei præest, machinatione *l. 1. §. 1. ff. Ad. L. Iul. Majestat. cuius poena animæ amissionem sustinet & memoria rei etiam post mortem damnatur §. publica autem, 4. J. de publ. Iudic.*

XXXVIII.

Parricidium quod attinet, in eo minus dubitandum, licet neget propter criminis gravitatem Arumoe. cum præcedentia duo crimina sint gravia, quod vel ex poena, quæ ejusmodi facinorosi afficiuntur, colligere licet, *Clar. 5. recept. sent. §. læsa Majestatis n. 8. l. 11. ff. Ad. L. Iul. Majestat. l. quisquis C. eod.*

XXXIX.

Hactenus de Regula. Cum verò nulla regula sit tam firma, quæ non habeat exceptionem, idem inter alia & hic animadvertere licet, dum à criminibus capitalibus sanguinis poenam ingerentibus, de quibus transfigere pacisciq; licet, excipitur adulterium *d. l. transfigere, 18. l. 10. C. Ad L. Iul. de adult:*

XL.

Est autem adulterium, stuprum in aliena conjuge commissum *l. inter liberas, 6. §. lex stuprum ff. Ad L. Iul. de adulter. l. 22. l. 29. l. quamvis, 30. C. eod. t. l. 101. l. 225. ff. de V. S. Vult. i.*

J. R.

J. R. c. 28. n. 46. Conrad. Wolff. Erotem. Inst. lib. 4. de publ. Iudic. Idem sentit Azo in summa sua C. Ad L. Iul. de adult. & Liranus cum multis aliis, quando adulterium definiunt alieni tori violationem.

XLI.

Quod quidem verum de Iure Civili, non verò Divino & Pontificio? Hisce namq; nec viro licet, quod mulieri non licet *c. nemo, 32. q. 4. maritusq; adulterii reus fit, etiamsi cum soluta rem habeat c. nemo sibi blandiatur, c. non mæchaberis 23. q. 5. c. non mæchaberis, 32. q. 6. c. transmissæ x. de eo, qui cognos. consang. uxor. gloss. in fin. ad l. I. C. Ad L. Iul. de adult.*

XLII.

Ideoq; adulterium dicunt legitimi tori violationem si-
ve ille alienus sit, sive proprius; Quæ definitio licet legibus consentanea non sit; in Canonistarum tamen sententiam omnes ferè Theologi eunt secuti *D. Hieronymum, D. Augustinum & alios per c. 5. vers. 27. Matth. & ejusdem c. 19. vers. 9.*

XLIII.

Illi igitur illud nihil aliud esse definiunt, quam conjugal^{is} fidei & integritatis violationem, quo quoquo modo aliena carne duorum unitas miscetur ac violatur *Wolfgang. Muscul. in 7. Decalogi præcept. Basil. Monner. de matrimo. c. 5. Joachim. à Beist, de sponsal. & matrimo. part. 2. c. 17.*

XLIV.

Pœna adulterii de Iure Divino est, ultimum supplicium, in utroq; tam masculo, quam foemina *Levitic. 20. vers. 10. Deut. 22. vers. 22. executioq; olim fiebat dum lapidibus obruebantur Iob. 8. vers. 4.*

XLV.

De Iure Civili autem pro temporum diversitate & pœna fuit diversa. Romuli enim temporibus arbitraria erat; Siquidem lege sancitum fuit ut maritus & cognati adulterii

convictam, uti vellent, occidere possent Dionys. Halicarnas.
antiquit. Roman, lib. 2. Francisc. Balduin. in comm. ad L L, Ro-
muli l. 15.

XLVI.

Verum Regibus exactis Lege Tribunitia, ut omnes aliae
leges exoleverunt l. 2. §. exactis, 3. ff. de O. I. ita & haec est a-
bolita, hujusq; criminis modò nulla ferè erat coërcitio, mo-
dò relegatio, quam Delr. adh. l. n. 85. ab Octavio Augusto in-
ductam existimat, Cornel. Tacit.: Histor. Augusta lib. 2. Augu-
stin. de civitat. Dei lib. 3. c. 1.

XLVII.

Sed Octavius Augustus Imperatoriam Majestatem na-
ctus, licet luxuriæ supra modum serviens erat, adeò, ut ali-
enæ conjugis amore obsessus, abjecta uxore Scribonia, Li-
viam Drusillam sibi conjunxerit Coras. 2. Miscel. 1. nihilomi-
nus certam in adulteros poenam de novo constituit.

XLVIII.

Quæ an sanguinis seu ultimi supplicii fuerit, inter Dd.
non constat? Sanguinis poenam non fuisse contendunt
Cujac. in l. 8. ff. de transact. 6. obs. 19. & seq. 21. obs. 17. Vult. 1.
disceptat. 11. & in §. item lex Julia 4. I. de publ. Judic. Menoch.
de A. J. Q. lib. 2. cent. 3. cas. 290. n. 3. & 2. seqq. cent. 5. cas. 419.
n. 31. Heig. p. q. 29. n. 60. Anton. Faber. 2. conject. 20. Hotoman.
d. q. 23. Fach. 1. controvers. 8. Bronch. cent. 1. ass. 43.

XLIX.

Verum cum Coras. d. l. concludo, poenam sanguinis seu
ultimi supplicii à D. Augusto fuisse constitutam, motus ex-
presso textu §. item lex Julia 4. J. de publ. Judic. l. 1. ff. de offic.
ejus cui mand. Jurisd. l. 3. ff. de Jurisd. interim non negans, ad-
ulterii poenam extraordinariam fuisse quandoq; relegatio-
nem Sueton. in August. & Tiber. Senec. lib. 6. de benefic. c. 32.
Macrob. lib. 2. c. 5. Plin. lib. 6. epistol. ad Cornel.

L. Quam

45. de. de re jud. l. 1.
de sig. l. 6. §. 5. ipta
l. 27. l. 28. de poen.
sunt. v. se. non pos.
Paulo lib. 2. sent. tit
de sig.
§. de divort. et repud.
37. de minor §. 1. p.
l. 1. 13. de his q. ut in
l. 20. §. 6. q. de sig. fac. pos.
§. 3. de his q. ut in
de sig. l. 1.
lib. 3. ad fi. dicit
p. p. autorat. et v. l. 2.
§. 3. de contin. adult.
v. l. 2. August. adulteros fuga damnat.

L.
Quam verò ob rationem Divi Impp. adultetium à cæ-
teris capitalibus criminibus sanguinis pœnam ingerentibus
exceperint, miram & variam animadvertere licet Dd. dif-
crepantiam ; tam diversas enim fœvent sententias, tamq;
miserè se macerant, ut non incommodè dici possit, crucem
hic fixam esse ICTis, ut haberent, quo investigando defati-
garentur *Moller. 3. semestr. 46. in pr.*

LI.
Accurs: *in Rubr. ff. Ad. L. Iul. de adulter.* & alii multi i-
psum secuti, ideò hoc constitutum putant, quod adulteri-
um sit cæteris gravius & detestabilius, adeò, ut D. Aposto-
lus Paulus, carnis detestans vitia, dicat : Omne peccatum-
quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, qui autem for-
nicatur, in corpus suum peccat *1. ad Corinth. 6.*

LII.
Vndè canones omnium ferè peccatorum gravissimum
dictitant adulterium *c. quod in omnibus 32. q. 7.* quod tam
ægrè fert maritus, ut molestius id patiat, quam proprii
filii mortem *Coras. d. c. 1.* & libentius, ut *Hieronym. in Amos*
ait, audiat uxorem interfici, quam pollui.

LIII.
Verum hanc rationem cõmuni omnium calculo explo-
sam dicit *Corasius*, cū adulterio aliud quid gravius admitti
possit *l. interdum 16. §. idem autem 1. ff. de publican. & vectigal.*
nefandissimum enim omnium delictorum est, quod con-
tra naturam fit, quo ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse
debet, violatur, cum eadem natura, cujus ipse author est,
libidinis perveritate polluitur *c. adulterij c. flagitia 32. q. 7.*

LIV.
Petrus de Bellapert: & Portican. hic, hoc aliquando sine
ratione ab Italo quodam, plus quam par esset, de uxore soli-
cito,
B 3

cito, vel ad instantiam ejus constitutum autumant? Verum cum, ut Porta ex Homeri sententia dicebat: non solos tangat Atridas iste dolor *l. 13. §. planè 1. ff. Ad L. Iul. de adult.* Corasio hæc ratio non placet.

L V.

Bartolus & alii adulterium ideò exceptum existimant, quod Imperator amator sit castitatis, quæ etiam sola cum fiducia potis est hominum animas præsentare *§. sancimus igitur N. 14. l. ita nobis pudor C. Ad L. Iul. de adulter.* Verum, cum idem in incestu & stupro dici possit, adulterium autem solum his excipiatur, neq; hæc ratio Corasio concludere videtur.

L V I.

Paul. de Castr. *hic n. 4. & Fulgos: n. 3.* hanc præsentientes difficultatem, dubitant an certi aliquid adferri possit, existimantq; exemplum hic haberi illius quod dicitur; Non omnium, quæ à Majoribus constituta sunt, rationem reddi posse *l. non omnium, 20. ff. de LL.*

L V I I.

Verum hanc rationem Delr. *hic n. 83.* ignorantia ve lumentum dicit, cum à non posse ad non esse nil firmiter concludatur: Et licet non omnium à quovis statim ratio reddi possit, subesse tamen aliquam necesse est, cum lex sine ea, utpote sua anima, spiritu, mente, & medulla, adeoq; ipsa essentia *Virgil. Pingiz. q. Saxon. 50. n. 16.* consistere nequeat *l. quod non ratione, 39. ff. de LL.*

L V I I I.

Bartolus hic, id introductum ex parte rei quidem propter frequentiam delicti autumat ut verum sit, quod *Claudianus scribit, in l. 16. §. fin. ff. de pænis*: Ex parte accusatoris verò, quod accipiens pecuniam pro comperto stupro, incidat in poenam *L. Iulæ de adulteriis l. 37. §. 1. in fin. ff. de minorib.*

L I X.

LIX.

Priorem quod attinet ex parte rei, parvi videtur momenti cum alia delicta æquè, imò magis frequentia sint; quis enim quæso furtorum & injuriarum finis, de quibus tamen transigere pacisci; licet *l. 7. §. si paciscar, 14. l. 17. §. 1. ff. de pact. l. 7. in pr. ff. de condict. furt. l. 13. C. de furt. sic homicidium licet frequens & quotidianum Clar: 5. sent. §. homicidium in pr: tamen adhuc sub regula continetur.*

LX.

Sic nec alteram ex parte accusatoris bonam esse, Coras. sæpius citata *l. sic* probat: quod hæc ratio pactionem admittat, si nullum precium acceperit, cum tamen lex nec transigere nec pacisci permittat. Deindè, quod hæc ratio etiam in stupro sibi locum vindicet, *d. l. 37. §. 1. l. 8. ff. quod met. caus. l. 29. §. 2. ff. Ad, L. Jul. de adult. l. 10. C. eod. t.*

LXI.

Salicet: Fulgos: Castrens: Alexand. & Iason hoc in favorem matrimonii specialiter inductum scribunt, ne sordido & ignobili patre nati liberi, ingenuis, generosis & splendidis familiis inserantur *l. 9. C. de quest. publicè enim interest, partus non subijci, ut ordinum dignitas, familiarumq; salva sit l. 1. §. sed etsi 13. ff. de inspici. ventr. ut Petrus ad h. l. falsi partus periculum, rationem assignando scribit.*

LXII.

Cæterùm & hanc *Alciat. 5. paradox. 8.* huncq; secutus Coras. damnant, cum idem in stupro dicendum foret; Verisimile enim est puellam aut viduam, ubi gravem uterum sibi senserit, nupturam, ut pariat, citra famæ dispendium, ac si ex marito concepisset: Tum etiam, quod super homicidio transigi possit, *d. l. 18.* Et nihilominus causa vitæ humanæ cæteris omnibus favorabilior sit.

LXIII.

LXIII.

Deindè, licet matrimonium, ut ordo antiquissimus & à Deo ipso in Paradiso institutus *Gen. 2.* omnis Divini & humani Iuris communicationem continens *l. 1. ff. de R. N.* omni honore sit dignissimum, ob id tamen de eo pacisci transigereq; non licere, haud videtur verisimile, siquidem & parentes venerari oportet *l. 1. ff. de obs. parent. & patron. prestand.* ut & Magistratus; nihilominus, si quis vel in hunc peccando, crimen læsæ Majestatis committat, vel illos planè occidendo, plus quam beluino parricidii crimine sese polluat, transactio pactumq; valet.

LXIV.

Alciat: verò *d. l. Cuiac. ad l. 8. ff. de transact. & 6. obs. 11.* Anton: Faber *7. conject. 20.* Borch. *de transact. c. 3. n. 72.* Delr. *hic n. 86.* rem ita decidunt: Olim adulterii crimen capitale non fuisse, ideoq; secundum alterã legis regulam transigere pacisciq; non licuit: Postea verò licet capitale factum, tamen ut de eo pacisci transigereq; liceat, specialiter non constitutum; quod autem non mutatur, quare stare prohibeatur. *l. 27. C. de testam.*

LXV.

Verùm cum hæc opinio merè sit conjecturalis, nec textu aliquo vel ratione probabili confirmari possit, meritò reiicienda; In primis cum negari non possit, statim ipsa *L. Iulia*, qua capitale adulterium factum, ne transigere super eodem liceret, simul constitutum *Wesenb. in nap. ff. de transact. n. 5. arg. l. 14. in pr. & l. 29. §. plectitur, 2. ff. Ad L. Iul. de adult.*

LXVI.

Donel. *adh. l. n. 7.* hanc adducit rationem, quod cum reliqua crimina ad privatos ferè solùm pertineant, hoc maxime ad totam Rempubl. spectet, utpote cujus interfit, ne incerta

certa & probrosa soboles nascatur & civitati inseratur l. 9.
C. de quæst. l. 1. §. sed etsi, 13. ff. de inspiciend. ventr.

LXVII.

Sed nec hæc stringere videtur, si enim interesse & commodum Reipubl. ratio prohibitionis esset, utiq; nec de crimine læsæ Majestatis, nec de parricidio transactio erat permittenda; Illo siquidem universa Respubl. eiusve securitas læditur l. 1. §. 1. ff. Ad L. Iul. Majestat. hoc verò ipsi etiam naturæ quodammodo vis infertur Cic. pro Roscio Amer.

LXVIII.

Coras. 2. miscel. 1. Connan. 5. com. 7. n. 3. Hottom. illust. q. 23. Wesenb. in παρ: ff. de transact. n. 5. Gædd. de contrah. & committ. stipulat. c. 12. n. 150. Idcirco de adulterio transigere & pacisci prohibitum existimant, quòd maritus, qui de adulterio uxoris aliquid acceperit, & in eo deprehensam, retinuerit, in lenocinii suspicionem incidat l. 2. ff. Ad L. Iul. de adult. sicut & quivis alius, qui quamcunq; mulierem vel virum adulterii accusaverit, aut accusare voluerit, si de eo paciscatur vel transigat, lenocinii crimen incurrat l. mulier ff. Ad L. Iul. de adult.

LXIX.

Sed nec hanc rationem esse sufficientem demonstrat Gilken: in d. l. 18. dum Corasio obijcit, eandem quoq; obtinere in stupro, incestu & raptu virginum, cum tamen hæc crimina à d. l. 18. excepta non reperiantur, nec transactio de iisdem sit interdicta: Deindè nec hanc ob causam concludere videtur, quod in actore duntaxat locum habeat, non verò in reo.

LXX.

Sed in tanta opinionum varietate, missis aliorum rationibus ordine relatis placet Gilken; qui ideo transactionem prohibitam existimat, quod cum accusatio adulterii certis

C

qui-

quibusdam duntaxat personis competat, marito & consanguineis atq; conjunctis *l. 30. C. Ad L. Iul. de adult.* perfacile fieri possit, ut ea admissa, facinus istud impunitum maneret, secus quam postulat Reipubl. utilitas *l. ita vulneratus ff. Ad L. Aquil.*

LXXI.

Occasione exceptionis hujus variæ moventur à Dd. quæstiones, & primò quidem, quid sit statuendum de adulterio præsumpto, eò nempe, quod firmis & sufficientibus probationibus demonstrari nequit, sed conjecturis saltem, indiciis & præsumptionibus nititur? Prohibitam utiq; transactionem non dubito *arg. c. 15. pr. N. 117. l. 23. & 29. ff. Ad L. Iul. de adult. l. ult. C. de repud. l. consensu ff. eod. Bald. quem refert Alciatus, Dis. Arumæ. exercitat. 20. the. 9.*

LXXII.

Sequitur de raptu quæstio; qui cum sit violenta foeminae de loco in locum abductio, libidinis explendæ gratia *l. 5. §. fin. ff. Ad L. Iul. de vi publ. l. unic. C. de rapt. virgin. Clar. 5. sent. §. raptus n. 1. Vult. 1. J. R. c. 48. n. 40.* cujus poena capitalis supplicium *d. l. unic. in pr. P. H. O. art. 118.* quæritur, an & hic transactio sit prohibita? Alii affirmando, alii negando, quidam distinguendo respondent.

LXXIII.

Affirmativam tenent *gloss. hic in verb. prohibitum, Cyn. n. 4. Forcat. in Cupid. Iurispr. c. 5. n. 5.* quos sequitur *Delr. hic, n. 114. Arum: d. disp. ad h. l. the: 38.* Negativam tuentur *Angel. hic, Salic: n. 8. Br. n. 11.* quæ licet vera sit, tamen quò ad affirmativam Alciati distinctionem adhibendam existimo.

LXXIV.

Is autem ita distinguit; Raptus aut simplex est, commissus

sus in soluta, aut cum adulterio conjunctus inq; nupta perpetratus *d. l. unic. vers. quæ multò magis?* Hoc posteriori casu adulterii respectu prohibitam omninò transactionem judicat *d. l. 18.* Illo verò concessam arbitratur *arg. l. 5. ff. de probat. & presumptio: l. 32. §. fin. C. de appellat: l. 27. C. de testam. c. fin. de restitutio: spoliato. in 6. Decius in l. fœmina 2. n. 108. ff. de R. J. Br. in l. quoties 13. ff. si quis caution:*

LXXV.

De stupro quoq; quæritur, an transactio sit permiffa. Arum: ex stupri pœna colligit, id non pertinere ad regulam primam, & sic nec transactionem super eo valere *in d. disp. 4. the. 39.* Verùm cum voluntarium intelligat, hîc autem de violento agatur, ipsius sententiam admitto, hocq; in casu transactionem sibi locum vindicare affirmo *arg. l. 1. §. fin. ff. de extraord. criminib. & ibi Br. Schneid. ad §. item lex Julia vers. sede eadem n. 2. J. de publ. Iudic.*

LXXVI.

De stupro in sponsa alterius commisso, an transactio sit licita, non immeritò dubitatur? Sed cum sponsus sponsam violatam Iure mariti accusare possit *l. si uxor, 13. §. Divi 3. ff. Ad L. Jul. de Adult. l. propter violatam 7. C. eod. Anton. Faber 3. conject. 6.* ejusmodiq; adulterium tam Iure Divino, *Deut. 22. vers. 22. & seq. quam Civili, l. quamvis 30. in fin. C. d. t.* ultimo pnniatur supplicio, transactionem non valere, nullus dubito.

LXXVIII.

Sed quid de nefando & super omnia detestando illo crimine, ubi vir nubit, in fœminam viris porrecturam, quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum, ubi scelus est id, quod non proficit scire? Ubi amor quæritur, nec videtur *l. 31. C. Ad L. Jul. de adult. anne* & hîc transactio concedenda? Et

C 2

licet

licet *Bl. consil. 30. Boss. de coit. damnat. n. 5.* nullo modo transactionem admittendam putent, cum tamen lege destituantur sine qua meritò quid asserere erubescendum *N. 18. c. 5. in pr. contrarium tenendum arbitror.*

LXXIX.

De incestu tanquam stupro inter personas sanguine junctos, commisso *Clar. 5. receptar. sentent. §. incestus in pr. quodq; tam Divino Levit. 20. vers. 11. & seqq. quam Civili Iure arg. l. 38. §. nonnunquam 3. ff. Ad L. Iul. de adult. Thoming. Decis. 42. n. 19.* morte punitur, quæri potest, an & de illo transigere pacisciq; liceat? Et hoc quoq; casu transactionem admittendam censeo, nisi adulterium cum incestu concurrat *Clar. 5. sent. §. fin. q. 58. n. 13.*

LXXX.

Idem deniq; de lenocinio respondeo, quod non inconvenienter latrocinium castitatis vocatur à Iustiniano *in N. 14. §. sancimus, vers. non enim permittimus, in verb. & communes. & committitur, dum quis coitus illicitos procurat vel commissorum impunitatem adjuvat l. 8. l. 29. §. 3. & seq. l. 33. §. fin. ff. Ad L. Iul. de adult. l. 37. ff. de minorib. l. 3. §. 3. ff. de accusat. & inscript.* Et tantum de exceptione regulæ primæ.

LXXXI.

Sequitur pars tertia *h. l.* continens regulam prohibitivam, qua in criminibus publicis, sanguinis poenam non ingerentibus, transigere non licet *d. l. 18.* & rectè quidem: Cessante enim redimendi sanguinis favore, publica flagitat utilitas, ne delicta maneant impunita *l. 51. vers. quod si quis absurdè. ff. Ad L. Aquil. l. 14. C. de pænis, Salic: hic, n. 19. Angel. & Delr. n. 134.*

LXXXII.

In hac regula secunda ad faciliorem ejusdem intellectum

ctum

Etum explicare libet, quæ & quid sint crimina publica. Licet enim Iure Canonico omnia crimina sint publica. *gloss. in c. infames, in verb. similiter fures, 6. q. 1.* tamen Iure Civili extra controversiam est, ea esse duplicia, privata, quæ delicta, & publica, quæ propriè crimina vocantur *l. 17. §. noxas 18. ff. de Ædilit. edict. l. 131. in fin. ff. de V. S. arg. Rubr. J. de oblig. quæ ex delict. nasc. & ibi Vult. n. 5.*

LXXXIII.

In hoc autem non conveniunt Interpp. quæ nam publica, quæ verò privata appellanda: Quidam enim rem ex objecto, quod læditur, definientes, hujus sunt opinionis: Privata illa esse, quibus privatus læditur, vel injuria afficitur: Publica verò quando scelus in Rempul. committitur. *Myns. ad Rubr. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. n. 2. Wesenb. in præp. n. 3. ff. de privat. delict. Duar. 1. disp. 36. Treut. p. 2. d. 30. the. 1. lit. A.*

LXXXIV.

Alii ita sentiunt: Privata ea esse, quorum executio vel persecutio, non nisi parti læsæ conceditur: Publica verò, quæ ab omnibus accusari ac deferri possunt *§. 1. J. de publ. Judic. Clar. recept. sent. §. 1. n. 5. l. hi tamen, 11. ff. de accusat. & inscriptionib. l. quamvis 30. C. Ad L. Iul. de adult. l. 3. §. 1. ff. de L. Cornel. de fals. Popularia etiam eo sensu publica sunt l. eum qui, 30. §. in popularibus 3. ff. de Iurejurand.*

LXXXV.

Verum neutra harum placet. Non illa, siquidem nullo modo sequitur: Crimen publicum est, Ergò statim Respubl. læditur ut enim annotavit *Cujaci. in præp. ff. de privat. delict. & post eum Vult. ad pr. J. de obligat. quæ ex delict. nasc. n. 7.* etiam tunc potest esse delictum publicum, cum privatus læditur.

C 3

LXXXVI.

LXXXVI.

Non altera: Siquidem non omne delictum, cuius accusatio cuivis ex populo permessa, publicum est, ut animadvertere licet in accusatione suspecti tutoris, quæ, licet cuilibet, de populo concessa sit, etiamsi saltem ad remotionem agatur *l. 1. §. consequens, 6 ff. de suspect. tutorib. §. consequens est, 3. J. eod. crimen tamen publicum non est arg. t. t. J. de publ. Iudic. d. §. consequens est.*

LXXXVII.

Deinde nec omne crimen publicum à quovis accusari potest; Adulterium enim, licet publicum sit *l. 1. ff. de publ. Iudic. §. Item lex Iulia l. eod.* tamen id accusandi copia non indifferenter omnibus, sed proximis necessariisq; personis, quas verus dolor ad accusationem impellit datur: Imprimis autem maritum genitalis tori vindicem esse oportet, *l. quamvis 30. C. Ad L. Iul. de adulter. l. 2. §. si simul 8. ff. eod. Wesenb. in mag. ff. eod. t. n. 9.*

LXXXVIII.

Verior igitur mihi videtur *Duar. 1. disp. 37.* sententia scribentis, illa esse publica, quæ certis quibusdam legibus publica facta ab uno quoq; ex populo deferri & accusari possunt: Privata, de quibus legibus illis nihil cautum est, ideoq; nec publicè eorum accusatio omnibus patet, sed ei duntaxat, ad quem ea res pertinet *l. 1. ff. de publ. Iudic. l. prævaricationis, 3. §. fin. ff. de prævaricat. Arum. Exercitat. Inst. 17. the. 2. Vult. d. l. & ad pr. Inst. de publ. Iudic. n. 2. & seqq.*

LXXXIX.

Criminum publicorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia §. publicorum, *3. J. de publ. Iudic. l. 2. ff. eod.* Capitalia in latiori significatu ea omnia sunt quorum poena est mors sive naturalis, quæ & ultimum supplicium dicitur

dicitur *l. ultimum 21. ff. de pœnis, sive civilis, ut aquæ & ignis interdicio l. 3. ff. Ad L. Iul. peculat. in metallum damnatio §. publicorum 3. J. de publ. Iudic. l. 2. ff. eod. & ibi Br. Trent. p. 2. disp. 31. the. 1. lit. B.*

X C.

In stricta significatione, ea saltem hoc nomine veniunt, quorum pœna mors naturalis *l. 4. ff. de pœnis, quæ est discessus animæ à corpore Cic: 1. Tuscul. Et hæc significatio h. l. 18. propria, ut ex oppositione capitalium & sanguinis pœnam non ingerentium, patet. Sanguinis enim pœna propriè est mors naturalis l. fin. ff. de prævaricat: Donel. hic n. 2. Arum. d. disp. 4. the. 27. Delr. hic n. 38. Non capitalia quæ sint docet d. l. 2.*

X C I.

Interpretationem hujus regulæ quod attinet, *Donel. hic n. 20.* reo impunè permittit transigere, non autem accusatori, eò quod incidat in accusationem falsi. Sed transigendi vocem non tam ad reum quam actorem, qui actionem, omittendo litem finit *l. controversia, 14. ff. de transaction. Salic: hic n. 26.* pertinere, vel exindè patet, quod ille sine hoc id facere nequeat: iam verò constat, aliquo concessio, & ea concessa videri, sine quibus id expediri nequit *arg. l. 56. & 62. ff. de Procuratorib. Donel. sibi ipsi contrarius d. l. n. 5.*

X C II.

Aliter regulam interpretatur *Forcat: in Cupid. Iurisp. c. 5. n. 2 & 7.* perhibens, transactionem quidem de criminibus non capitalibus esse prohibitam, permissam verò pactio- nem, cum id crimen sit levius falsi delicto & supplicio seu quam quod falsi accusationem mereatur.

X C III.

Verùm Impp. animus non est, appposito transactionis vocabulo, pactum excludere, ut enim inf. dictum, pactum
com-

comprehendit: Undè pacisci non licet, de quibus transigere prohibetur *Paul. 1. receptar. sent. in pr. & ibi Cuiac. idem 6. obs. 11. Arum: d. l. 4. the. 41. & in præcedentibus dicta, in sequentibus repetita intelliguntur l. Titia 134. §. idem respondit 1. ff. de V. O. Delr. hic n. 135. Cyn. n. 13.*

XCIV.

Hottom. in d. q. 23. hanc regulam, ut superiorem invertit affirmando, in criminibus non capitalibus, actori tum ante, tum post constitutum iudicium & pacisci & transigere impune licere, motus *l. 7. §. si paciscar, l. 27. §. pacta ff. de pact. in primis verò l. 1. §. sed & ff. de caluminatorib. ubi Ulp. ait. non esse transactionibus interdictum sed sordidis concussionibus.*

XCIV.

Sed allegati Iuris textus regulam non invertunt, cum partim agant de criminibus privatis, de quibus transigere vel pacisci non modò non prohibetur, sed potius expressè concessum *d. l. 7. §. si paciscar, l. pro fure, 7. in pr. ff. de condict. furt. l. 13. C. de furt. Cuiac. 10. obs. 11. Borch. de transact. c. 3. n. 92. Salic. hic n. 20. partim de causis publicam utilitatem concernentibus d. l. 1. §. sed &.*

XCVI.

Haftenus de tertia *h. l. 18.* parte secundam regulam continente: Sequitur jam quarta & ultima, in qua agitur de interpretatione verborum: **Citra falsi accusationem, ubi iterum Dd. non conveniunt.**

XCVII.

Sunt enim, qui vocabulum **Citra** pro **sine** accipiunt, ut sit sensus: Quod actor ita transigens incidat in accusationem falsi & poenam **S. C. Turpilliani l. 1. §. 10. vers. atquin**
l. 5.

l. 5. C. eod. Alciat: in d. l. 18. Briffon: lib. 3. de V. S. verb. Citra,
Hottom. d. q. 23. Donel. in d. l. 18. Anton: Faber 2. conjectur:
20. Glock in d. l. 18. p. 4. per tot. Loriot: de pact: axiom: 102. We-
senb. in mag: ff. de transact. n. c. Ravard. d. lib. 4. c. 6.

XCVIII.

Alii intelligunt Citra exceptivè pro præter, ut hîc à re-
gula excipiatur crimen falsi, quemadmodum à prima fuit
exceptum adulterium l. unic: §. accedit ei, 13. in fin: C. de rei
uxor: act: l. ult. ff. de calumniatorib: Harmenop: in epitom: t. 10.
Cuiac: 6. obs. 11 & 19 obs. pen. Delr. n. 141. & seq. Borch. d. tr. c.
3. n. 93. & multis seqq: Govean: 1. variar: lect: 30. Fach. 1.
controvers: 9.

Propria ubi q. citra si
q. p. 81 NE sumit l.
digs. ad Turpill. l. v. d.
p. 1. 1. 3. 1. de foris. l. 8
p. 1. de transact. l. 4.
ad min. tut. l. v. d. m.
l. 1. d. 1. q. font. jur. appi
l. 6. §. q. judic. de docu

XCIX.

Hæc posterior sententia, cum non tantum dictis Dd.
authoritatibus fulciatur, verum etiam expressis textibus
l. ipse significas 7. C. Ad L. Cornel. de fals. l. 2. C. de his, quibus
ut indign: l. pen: C. de transact: confirmetur, meritò te-
nenda.

C.

Rationem autem, quare de crimine falsi transigere
non sit prohibitum, Dd. non reddunt hanc, quod sit capi-
tale l. 22. C. Ad L. Cornel. de fals. cum ita ad priorem perti-
neat regulam, sed quod ejus pactio ut plurimum ad priva-
tum commodum & causam spectet, statuunt ad d. l. 18. ubi
& gloss. Glock. d. p. 4. c. 3. Aliam adducit Wesenb. n. 5.

Ab de privatis delictis d
factio prohibita et h. q.
ta impbata l. 6. q. not.
q. tr. et p. ad damm. r.
p. 1. d. 1. q. font. jur. appi
l. 6. §. q. judic. de docu

CI.

Disputationem hanc concludat quæstio hæc? An
transactione de crimine facta, nihilominus reus iterum

D accu-

accusari & sanguinis poena affici possit? *Br. quidem ad h. l.*
18. n. 7. & Curt: Iuni: n. 29. negantium videntur amplecti
sententiam. Sed cum contraria communis sit & expressè
l. qui catu §. ult: ff. Ad L. Jul. de vi publ: & l. 2. C. de abolition:
probetur Clar: recept. sentent: §. fin. q. 58. vers. sed pone,
Anton: Gomez: de delict. c. 3. n. 55. & Farinac:
l. comm: quest: crimin. 4. n. 34. utiq;
tenenda.

FINIS.



PRÆSTANTISSIMO
VIRO

D. JOH. PURKELIO JV. CANDI-
DATO DOCTISSIMO D. ET AMICO
honorando S. P. D.

PURKELI, patria succrescens gloria terra
Et tam cœlicola florida Famamices.
Sicne tibi visum cœtu discedere nostro,
Doctrinae ut specimen nobile inante dares.
Consilium ô rectum præclarâ & laude ferendū,
O utinam cunctis idem animusq; foret.

Quid

Quid tribuas claris, constat, Doctoribus, inde,
Et quibus assiduum te dederis studiis.
Sed quos progressus ipso testabere agone
Illi te nive gloria in axe vehent:
Jamq; tuas animo Patriæ Dux INCLYTUS ora
Expendit dotes, consiliumq; Ducis:
Designantq; locum venienti, tu modo Spartam,
Promptus, amans patriæ & civis honorus, obi.
Nusquam virtuti merces condigna negatur.
Semper honos arti semper & ingenio est.

Michael Piccartus Fr.
Prof. Noricus.



D 2

Ad



Ad Virum virtute ac Eruditio-
ne conspicuum, Dominum Johannem.

Purckelium Iurium Candidatum, Amicum
meum certissimum, &c.


Προσφώνημα.

Non sine re & fructu speciosa volumina juris,
Optime PÜRCKELI, nocte dieq; teris.
Nam labor omnis habet fructus, sua donaq; certa:
Sive domi praestat commoda, sive foris.
Ergò quod indiget as celsorum scripta virorum,
Nec satiat mentem lectio tanta tuam;
Non sine fruge facis, sed habent tua germina fructus,
Publica quos juris lemmata bina sacrent.
Perge tuos igitur fructus, & amabile pectus
Undiq; praclaris, IANÉ, probare viris.
Sic tibi stabit honos, patria sic gloria terra;
Sic generis fies maxima fama tui.

ὁλοφιλίας ἕνεκα facieb.

Joann. Körner.
Coburgo Fr.

Clarif.



Clarissimo & Consultissimo

VIRO, ac Comino, Joanni Pürckelio, Byrutho-Franco; amico meo singulari.

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα κ' νόον ἔγνων:
Dete PÜRCKELI, dicere jure queo.

Gallia te novit, te Scotia, & Anglia novit,
Belgica te novit, te quoq; Sarmatia.

Illarum Tūmet benè nosti idiomata vocum;
Illarum morum cognitione viges.

Quisnam te ulterius novit? ROMANA THEMISTA,
Quæ sibi te ut sobolem hinc intimat intimitus.

Hujus jam scandens trabealia pulpita jussu,

TRANSIGERE ad legem Præsides TE, loqueris.

Hinc peregrinando clares & legibus; hinc est,

Quod non unus homo, sed mihi duplus homo.

Hinc est, quod tecum jam TRANSIGAT alma Themista,

Ut cum PRINCIPIBUS TRANSIGERE ipse queas;

Ni sit transactum jam dum: Si est; gratulor illud,

Si non; antè tuli vota, dein taceo.

Princip.
Odyss. a.

*Fausta acclamationis
causâ scripsi*

Joannes Leib
Francus.

D 3

Ad



V I R O

CLARISSIMO, DOMINO JOAN-
NI PÜRCKELIO BYRUTHO-FRAN-
CO, I. V. C. amico meo
honorando,

Parnassum auebam inuisere, principe
Sedem Novenarum & Clarii DEI,
Caballino ut, sacro Deabus,
Proluerem mea labra fonte,
Et sic alumnus vel fierem novus
Novem sororum, Laurigeri aut DEL
Repente prodirem Poëta,
Qui pia pleetra, piasq, tangens
Fides, sonarem calitibus melos
Placens, honestis aut canerem viris
Carmen sonorum voce acutâ,
Quod pia facta virum referret!
Sed à bicollis limine non procul
Ut sum, canentes audio Musulas,

Et

Et suave pulsantes sorores
Plectra fidesq; sonantiores;
Citò ergo nostros accelero gradus,
Commotus à suavi melico sono,
Festivitate utq; hâc solemni
His oculis fruier potessem:
Sed mane veni, sed nimium cito
Veni; pedes nam imponere gestito
Dum in limen, heu durum! repellor
Aligero à puero Diona
Qui constitutus portitor à piâ
Cateruâ erat; sed nescia sordida
Virtus repulsa me coëgit
Verba dare huic puero protervo,
Mibi ut locum extremo daret ordine,
Saltim aut videndi in limine copiam
Concederet, si non bibendi;
Quod petij puerum, impetraui.
Attentus, ergo his auribus haurio
Melos suâve, & cogito quid sit hîc
Tandem futurum, quidve pompâ
Turba novena sibi hâcce vellet!

En!

En! mox silentes conspicio DEAS
Et prestolantes, nescio quam DEAM
DEUMVE, sed dicta est Themista
Adproperare, Mitramq; secum
Adferre, & aurum, plurima item bona,
Qua diva vellet largiter optimo
Donare cuiquam, qui Themista
Iustitiaq; operatus alma:
Dictumq; factumq; ; adproperat THEMIS,
Stipata pulcris virginibus, Mitram
Ferentibus dextris, metallum &
Quod pretiosius ipso & auro,
Et sic Novenas alloquitur DEAS:
Caræ ô sorores cingite frundibus
Apollinis vestros capillos,
Atq; sonate melos suave;
Cingam coronâ namq; Ego tempora
PÜRCKELI amici debitâ, & incluto
Maçtabo præclarum hunc honore,
Divitijsq; beabo magnis;
Duro ut labori premia, debita
Respondeant: nam dignus is unice est,

Vt

Vt qui probatos affecutus
Gallia, Iberia, & Anglicanos,
Cum Belgicis, mores, didicit simul
Horumq; linguas; Iustitia, & novem
Vobis, sorores, militavit
Nominis haut sine gloriâ amplâ:
Involvam ut alto quæq; silentio,
Magnam tamen sat laudis adoream
Sibi parabit disputando
Maxima præmia & hinc merebit:
Ergo, sorores, plaudite, plaudite,
Et hos, honores carmine debito
Laudate PÜRCKELI, ô sorores
Concinite & fidibus sonate!
Dixit Themista hæc, ac abiit simul
Quam mox secuta cum Duce Musula,
Et virgines Divæ pudicæ,
Vocibus & fidibus canentes
PÜRCKELIUM te ac laudibus inclutis
Ad astra tollentes tua nomina
Ter-clara; MUSIS JURE, MULTÆ
Deniq; COGNITIONE LINGUÆ:

E


Ote


O te beatum! ô te celebrem virum!
Cui sic Novena, sic Themis incluta
Favet! colit quem Gallus! acres
Quem redamant penit⁹ Britanni!
Quem docta magni Suada CASAUBONI
Themisq² BRONCHORSTI pia nobilis
Suum vocavit carum amicum!
Nomina quanta! viriq² quanti!
Nil præter unam deest tibi conjugem
Vitam ad beatam, quam tibi janitor
Montis bicollis parvus iste
Mox dabit, nitidam, Cupido
O te beatum! ô te celebrem virum!
Cui sic Novena, sic Themis incluta
Favet; colunt magni viri; quem
Et Venus ipsa amat, & Cupido!

Observantia & singularis amoris
testandi caussa scripsi
L. M. g².

Georg. Mundius Rodacho-
Francus.

F I N I S.





00 A 6420

ULB Halle 3
002 928 000



11

110 17



Misce

Jurisdic
Servitutib
Ad L. tran
Transactio
Jure Emphy
Bona fide
Servitutib
Principijs

VALENT

Questio

rum

des


II

De Pa

bonis

De rep





5

DISPUTATIO

Ad difficillimam L. transigere 18.
C. de Transactionib.

Quam

CONSENSU ET AU- toritate Amplissimi ICtorum

ordinis, in inelyta Altorfina publicæ
disquisitioni subijcit.

JOHANNES PÜRCKELIUS BYRUTHO-
Franco Alumnus Brandenburgicus

In Collegio ICtorum Welferiano

Die 5. Octobris.



NORIBERGÆ,

Typis Abrahami Wagenmanni.

*Præstantissimo Juvencio - Viro,
Dno Johanni J. V. C. amicis suis
fraternis amando mittit R. S.
ad opponendum amicis interdict.*

